

PONTIFICIA COMMISSIONE  
CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

**COMMUNICATIONES**

VOL. XIII - N. 2

---

1981

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS  
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1981

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

### *Allocutio*

Ad Sodales, Consultores et Officiales Pont. Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo . . . . .	255
--	-----

## ACTA COMMISSIONIS

I. Sessionis Plenariae Celebratio . . . . .	259
II. Opera Consultorum in recognoscendis Schematibus canonum	
1. Schema « De Populo Dei » . . . . .	271
2. Schema « De Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum » . . . . .	325
3. Schema « De Sacramentis » . . . . .	408

## DOCUMENTA

I. A Cardinali Praeside describitur et examinatur votum a Patribus unanimiter datum in Plenaria nostrae Commissionis . . . . .	444
II. Cursus renovationis canonicae pro Iudicibus in Universitate Gregoriana inaugratio . . . . .	447
III. In XI Colloquio Iuris Europaei Messanae habito. Rev.mus Aemilius Eid, nostrae Commissionis Consultor, et S. Sedis Observator, orationem habuit « De problematibus iuridicis circa paria » . . . . .	450
IV. Card. P. Felici Centenarium Annum ab ortu Ioannis XXIII commemorat	460
V. Summus Pontifex commemmorat bismillesimum annum ab obitu Vergilii Hexametri in honorem Ioannis Pauli II a Card. P. Felici oblati . . . . .	463
VI. Summus Pontifex participes XI Cursus renovationis canonicae pro Iudicibus alloquitur . . . . .	466

NOTITIAE . . . . .	470
--------------------	-----

## 3

## COETUS « DE SACRAMENTIS »

Praeside Cardinali Pericle Felici, moderante Exc.mo Rosalio I. Castillo Lara, Commissionis Secretario, Relatore Rev.mo Willelmo Onclin, Commissionis Secretario Adjuncto, Coetus specialis de Sacramentis (cf. *Communicationes*, 9, 1977, pp. 323-344; 10, 1978, pp. 47-179; 13, 1981, pp. 211-245) sessiones habuit diebus 29 maii - 2 iunii et 9-12 octobris 1978 in quibus canones de Eucharistiae sacramento (II pars) deque Sacramentalibus et Indulgentiis recognovit, iuxta animadversiones quae ab Organis consultationis prolatae sunt. Munere Actuarii functus est D. Marianus De Nicolò.

Conventus dd. 29 maii - 2 iunii 1978

**DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA  
(II PARS)**


**Art. 2**

**DE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE SUBIECTO**

Ad Tituli inscriptionem huius articuli quod attinet iam in anteacta sessione statutum fuerat ut inscriberetur de « ceteris Sanctissimae Eucharistiae participantibus » (cf. *Communicationes*, 13, 1981, pp. 233-234); attamen, consideratis his quae in canonibus continentur, melius videtur ut titulus inscribatur « De Sanctissima Eucharistia participanda ».

*Can. 72 (novus)*

*Christifideles maximo in honore Sanctissimam Eucharistiam habent, atque animarum pastores eos edoceant obligationem qua tenentur ut summa cum veneratione augustissimo huic Sacramento debita in eiusdem celebratione partem habeant, illud recipient et colant, atque hac etiam mente ducti ea quae sequuntur praescripta sedulo observent.*



Animadversiones rite considerantur, inter quas plurimae petunt ut actuosa participatio omnium maiorem accipiat accentum.

Unus Consultor quaerit utrum non expedit ut canon ad generales canones transferatur. Duo Consultores censem melius esse ut hoc in loco serventur ubi praecise de participatione SS.mae Eucharistiae ex parte fidelium agitur.

Tertius Consultor vellet ut nn. 58 et 62 IGMR quoad sensum introducantur ubi adnotatur ius et officium pro communitate fidelium participationem suam afferendi, tamen solum et totum id agant fideles ad quod deputantur ita ut vitetur quod omnia faciant vel nihil agant pro lubitu suo.

Aliquis Consultor praeferret ut adiungeretur *partem sui muneri convenientem*, vel alia similis expressio. Alius Consultor suggerit ut dicatur *partem sibi congruentem*. Proponentibus Cardinali Praeside et Secretario Commissionis verba *atque hac etiam mente ... observent* supprimuntur et textus sic sonat:

*Christifideles ... ut summa cum veneratione augustissimo ... celebratione actuosam partem sibi congruentem habeant, illud recipiant et colant.*

Unus Consultor instat ut magis elucescat sensus proprius adorationis et cultus latriae Eucharistiae debitus ad instar eorum quae in n. 3 IGMR habentur. Alter Consultor proponit ut dicatur *summa veneratione vel veneratione adorationis quae Deo debetur*, quia veneratio est species adorationis. Tertius Consultor proponit ut verba *summa cum adoratione* supprimantur et simpliciter dicatur *cum adoratione* quia melius sonat *adoratio* vi cuius intelligitur cultus Deo debitus. Primo Consultori non satisfit verbum *adoratio* quod significat tantum prosternatio coram aliquo.

Unus Consultor animadvertisit celebrationem Eucharistiae characterem adorationis praeferre sed in sacrificii participatione non fit de se adoratio.

Relator proponit ut hac de re sermo instituatur in cap. II, ubi de SS.ma Eucharistia asservanda et veneranda. Duobus Consultoribus formula canonis proposita non videtur bona. Replicat Secretarius Commissionis canonem bonum esse cum clarus et pertinens sit. Instat unus ex duobus Consultoribus quia in uno canone nimiae continentur res, nempe: 1) praeceptum pro fidelibus; 2) praeceptum pro eorundem pastoriibus; 3) participatio fidelium ad sacrificium eucharisticum; 4) eorumque communio, denique 5) adoratio.

Aliquis Consultor petit curnam antequam agatur de celebratione sermo instituitur de communione. Secretarius Commissionis animadvertisit de systematica postea agendum esse, prius necessarium esse ut de canonum materia agatur.

Unus Consultor tenet canonem habitum vel formam mentis fidelium respicere erga SS.mam Eucharistiam.

Relator proponit ut canon initio cap. I ponatur uti § 2 can. 61, vel inter canones generales introductoryos.

Aliquis Consultor notat Christum in Eucharistia praesentem non esse ut adoretur, sed praecise quia praesens est anima, corpore et divinitate, hac ratione nos Eum in Eucharistia adoramus. Periculum eidem Consultori videtur ne in textu praesentia Christi sacrificalis, vel, uti aiunt, disnomismus sacrificalis, minuatur: Christus est religiosus Patris. Alius Consultor praeferit ut canon suo loco remaneat.

Alius Consultor proponit ut textus simplificetur verba *qua tenentur ... debita* supprimendo. Contradicit aliis Consultor, quia praecise ratio canonis est ut fideles edoceantur et cum veneratione Sacrificio participant. Et duo praebentur adspectus: 1) in sacrificio Eucharistico Filius qui adorat Patrem et nos cum illo; 2) in adoratione eucharistica nos Christum ut Deum adoramus. Idem Consultor proponit ut canon transferatur immediate post can. 61, ubi natura huius Sacramenti explicatur, uti canon per se stans.

Textus qui proponitur est:

*Christifideles maximo in honore Sanctissimam Eucharistiam habent, actuosam in celebratione augustissimi sacrificii partem habentes, devotissime et frequenter illud sacramentum recipientes, atque summa cum adoratione illud colentes; animarum pastores eosdem eandem obligationem sedulo edoceant.*

Idem Consultor insistit ut canon hoc in loco maneat; facta suffragatione, maiori parti Consultorum (5) placet ut ponatur post can. 61. Unus Consultor sese abstinet a suffragio ferendo.

Ad textum quod attinet: placet omnibus, demptis verbis *summa ante cum adoratione et sedulo post obligationem*.

\* \* \*

Ut iam dictum est, plurimae exstant animadversiones quae petunt ut novus canon adiungatur ut instetur in actuosa participatione eucharistico mysterio et in eius aestimatione, quapropter Consultor, qui expensionem modorum exaravit, hanc proponit formulam: *Parochi current*

*ut tum pueri tum adulti in mysterii eucharistici eiusque celebrandi notione et aestimatione instruantur.*

Cardinali Praesidi, Secretario Commissionis et Relatori textus non videtur necessarius quia esset repetitio can 72, ubi iam de instructione christifidelium sermo instituitur. Omnes concordant de re iam satis provisum esse.

\* \* \*

*Can. 73 (CIC 853)*

*Nisi iure prohibeatur, quilibet baptizatus admitti potest et debet ad sacram Communionem.*

Visis animadversionibus et disceptatione peracta, omnibus placet ut textus can. 853 CIC, qui est *Quilibet baptizatus, qui iure non prohibetur, admitti potest et debet ad sacram communionem retineatur. Neque accipitur propositio unius Consultoris adiungendi, post iure non prohibeatur, rite dispositus.*

*Can. 74 (CIC 854)*

*§ 1. Sanctissima Eucharistia ne ministretur pueris qui sufficientem huius Sacramenti cognitionem non habent.*

*§ 2. Ut Sanctissima Eucharistia ministrari possit pueris in periculo mortis versantibus, sufficit ut Corpus Christi a communi cibo discernant atque reverenter suscipere possint.*

*§ 3. Ut Sanctissima Eucharistia ministrari possit pueris extra periculum mortis, requiritur ut pleniore cognitione atque accuratiore præparatione gaudeant, ita ut fidei mysteria ad salutem necessaria pro suo captu percipient, ut eucharisticum panem a communi distinguant atque ad hoc Sacramentum devote pro suae aetatis conditione accedere valeant; parentum imprimis atque eorum qui eorundem locum tenet est curae ut pueri ita debite ad Sanctissimam Eucharistiam recipiendam præparentur.*

*§ 4. Parocho est officium advigilandi ne pueri ad sacram Synaxim accedant, si rationis usum adepti non sint aut sufficienter non sint dispositi; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur.*

*Ad § 1*

Nonnulli petunt ut ista § supprimatur et ordo in canone sit § 3, § 2 et dein § 4. Omnibus Consultoribus placet ut § 1 supprimatur.

*Ad § 2*

Secretarius Commissionis sibi querit utrum expeditat hanc servare §, quae textum proponit iam in § 3 contentum. Tamen disceptatione peracta, textus servatur sed hoc modo mutatus: *Pueris tamen in periculo mortis versantibus, Sanctissima Eucharistia ministrari potest, si Corpus Christi a communi cibo discernant et communionem reverenter suscipere possint.*

*Ad § 3 (quae fit § 1)*

Proponente Secretario Commissionis supprimuntur verba *extra periculum mortis*; loco pleniore dicatur *sufficienti*; loco *accuratiore* dicatur *accurata*. Post *gaudeant* supprimuntur verba *ita ut ... valeant* et eorum loco dicatur *ita ut mysterium Christi pro suo captu percipient et Corpus Domini cum fide et devotione sumere valeant*. Deinde proponitur ut textus qui sequitur *parentum imprimis ... praeparentur* aliam § efforet.

Relatori parum placet propositio et mallet ut textus suo loco maneat, vel ipse proponit ut ponatur uti prima pars § 4 (quae fit 3). Haec ultima solutio probatur et textus § 4 reformatae sequens est: *Parentum imprimis atque eorum qui eorundem locum tenent necnon parochi officium est curandi ut pueri usum rationis assecuti debite praeparentur et quamprimum hoc divino cibo reficiantur; parochi etiam est advigilare ne ad sacram Synaxim accedant pueri qui rationis usum non sunt adepti aut quos non sufficienter dispositos iudicaverit.*

*Can. 75 (CIC 855)*

*Ad Sanctissimae Eucharistiae celebrationem aut communionem ne admittantur qui graviter deliquerunt et in contumacia manifesto perseverant.*

Nonnulli in animadversionibus petierunt ut hoc in loco textus exhibetur qui praevideat possibilitatem adeundi ad sacram communionem pro fidelibus divortiatis et denuo coniugatis.

Omnes Consultores concordant Commissionis non esse de istis decernere; erit Sanctae Sedis quaestioni respondere.

In textu supprimitur verbum *celebrationem aut*, quia heic agitur de SS.ma Eucharistia participanda. Exclusio a celebratione characterem prae se fert poenalem ideoque ius poenale respicit. Insuper titulus

inscribitur *De SS.ma Eucharistia participanda ergo non est locus proprius de celebratione deque celebrantibus loquendi.*

*Supprimitur ergo verbum *celebrationem* et post *graviter* adiungitur *et publice.**

*Can. 76 (CIC 856)*

*Qui conscius sibi est peccati gravis ne celebret neve Corpori Domini communicet priusquam ad Sacramentum Paenitentiae accesserit, nisi adsit gravis ratio et deficiat opportunitas confitendi; quo in casu meminerit se obligatione teneri actus perfectae contritionis prius eliciendi.*

Nonnullae Conferentiae Episcopales petierunt ut canon supprimatur, quia confessio appetit solummodo tamquam conditio communionis, et forum internum respicit.

Unus Consultor animadvertisit canonem forum internum non resipere, etsi animus quocum aliquid fit, est internus sed in externo constat.

Alius Consultor animadvertisit canonem habere maximum momentum pro tota practica pastorali et oportere ut eius formulatio quam maxime accurata sit. Obligatio in casu peccati gravis confitendi antequam ad celebrationem vel communionem eucharisticam accedatur videtur iuris ecclesiastici et non divini esse. Textus noster mitior videtur quam ille qui in Codice exstabat et idem Consultor quaerit utrum revera voluntas Coetus esset rem aliquo modo mihiorem reddere.

Tertius Consultor testatur Coetum voluisse, saltem quoad sacerdotes celebrantes, aliquam mihiorem formam introducere.

Imprimis, p[ro]ae oculis habitis animadversionibus prolatis, suffragio submittitur propositio eorum qui petunt ut canon deleatur. Omnes Consultores, excepto Relatore, concordant ut canon servetur.

Ad suffragium utrum dicendum sit peccatum grave vel peccatum mortale, quod erat in Concilio Tridentino et in Codice, quattuor Consultores stant pro prima expressione et tres pro altera. Ergo remanet *peccati gravis.*

Plerique insuper Consultores, tribus exceptis, praefuerunt ut in textu expressio *perfectae contritionis* servetur.

Maxime inter Consultores controvertitur quaestio utrum unica formula adhibenda sit in canone pro sacerdotibus et fidelibus an duae, uti erat in Codice (cann. 807 et 856). Pro duabus formulis stant quattuor Consultores; pro sententia unius formulae stant tres Consultores. Et textus qui proponuntur sunt sequentes:

— pro sacerdotibus: *Sacerdos sibi conscius peccati gravis sine praemissa sacramentali confessione Eucharistiam ne celebret nisi adsit gravis ratio et deficiat opportunitas confitendi; quo in casu meminerit se teneri ad eliciendum actum verae contritionis cum proposito quamprimum confitendi;*

— pro fidelibus: *Fidelis sibi peccati gravis conscius sine praemissa sacramentali confessione eucharisticam Communionem ne recipiat, nisi adsit gravis ratio et deficiat opportunitas confitendi; quo in casu tenetur ad eliciendum actum verae contritionis cum obligatione confitendi.*

Cum unica differentia inter duos textus est adverbium *quamprimum* in formula pro sacerdotibus, Consultores omnes convenient ut textus unicus redigatur, qui sic sonat:

*Qui conscius sibi est peccati gravis, sine praemissa sacramentali confessione Missam ne celebret neve Corpori Domini communicet, nisi adsit gravis ratio et deficiat opportunitas confitendi; quo in casu meminerit se obligatione teneri ad eliciendum actum perfectae contritionis, qui includit propositum confitendi.*

*Can. 77 (CIC 857)*

*Qui Sanctissimam Eucharistiam receperit, non potest eam iterum eadem die suscipere extra Eucharisticam celebrationem, nec in ipsa, nisi particeps sit celebrationis Eucharisticae cum quadam sollemnitate peractae.*

Valde disceptatur de hoc canone cum plerique, immo fere omnes modi in consultatione prolati exoptant ut sacra communio permittatur quoties quis, rite dispositus, Missae celebrationi participet.

Unus Consultor has refert rationes theologicas pro petitionum admissione: in celebratione eucharistica sacrificium Christi repraesentatur in caenae memoriali; ideoque plena participatio fit edendo cibum huius caenae, neque videtur sensui huius celebrationis correspondere cibum recusare ei qui, bene dispositus, caenam participat.

Tres Consultores tenent rationem a primo Consultore prolatam validam esse. Unus Consultor notat: 1) exstant iam leges in hac materia ab Ecclesia factae quae iam praxim in Ecclesiae vita induxerunt ita ut possumus loqui de aliqua experientia ecclesiali in hac materia; 2) de se nihil obstaret innovationi introducendae; si tamen Ecclesia nondum hanc novam methodum introduxit, ratio est ne sacra Communio praxis fiat vulgaris; insuper demonstrandum adhuc est quod fideles sint

hodie melius dispositi quam anteactis temporibus; 3) si Coetus limitationem pro fidelium Communione aufert, debet etiam limitationem supprimere pro sacerdotibus plures in die celebrantibus; 4) timor insuper adest ad conceptum Eucharistiae quod attinet; vi cuius Missa non adest nisi cum participantium Communione; 5) oportet ut aliquid dicatur de sacra Communione extra Missam.

Unus Consultor timet periculum introducendi aliquam conceptionem « quantitativam » Eucharistiae (quantificazione della concezione dell'Eucarestia), quae eius qualificationem non iuvat. Si communio plures in die introducitur merae devotionis causa, videtur prorsus superflua, nisi adsit dimensio aliqua communitaria sensu ecclesiali, ut, ex.gr. habetur quando Episcopus dioecesanus celebrat.

Alius Consultor non sibi persuasum habet de rationibus a prioribus Consultoribus prolatis.

Primus Consultor praeferret ut *liberalisatio* sic et simpliciter admitteretur ut supra explicatum est et proponit ut tantum dicatur:

*Qui Eucharistiam receperit eam non potest iterum, eodem die, suscipere extra Eucharistiae celebrationem.*

Consultor, qui plures notationes fecit, instat in suis rationibus et addit traditionem et sensum psychologicum in limitatione adesse: quod fideles ad sacram communionem cum levitate ne accedant non est ratio absoluta sed tamen valde pastoralis.

Relator accedit ad sententiam primi Consultoris ut prohibitio ponatur bis in eodem die extra Missam communionem suscipere.

Secretarius Commissionis notat etiam criterium pro missae binatione ampliatum fuisse, rationibus socialibus inductis, uti est pro funeribus, matrimonii aliisque circumstantiis.

In fine disceptationis omnes adprobant textum sequentem:

*Qui Sanctissimam Eucharistiam receperit, potest eam iterum eadem die suscipere solummodo intra Eucharisticam celebrationem (quam) cui participat, salvo praescripto can. 82.*

Unus Consultor petit ut dicatur *rite participat* ad indicandam non qualemcumque sed qualificatam participationem; respondet Secretarius Commissionis verbum *participare* esse terminum technicum et exprimere plenum participationis conceptum.

Conferentia Episcopalis aliqua petiit ut alia § vel novus canon introducatur ubi sermo fiat de communione extra Missam sequentibus vel similibus verbis: *Fidelibus rite dispositis, qui Sacrae Eucharistiae*

*celebrationi participare non possunt, licet sacram Communionem extra illam ministrare, servatis ritibus praescriptis et praemissa, si res ferat, brevi verbi Dei celebratione.*

Disceptatione peracta, visum est opportunum ideam recipere, quae in n. 33 Litt. Encycl. *Eucharisticum Mysterium* habetur, quod nempe fideles adducendi sunt ut in ipsa celebratione eucharistica communient: sacerdotes vero potentibus sacram Communionem extra Missam iusta aliqua de causa eam distribuere ne renuant. Quapropter textus qui probatus est (erit can. 77 bis):

*Maxime commendatur ut fideles in ipsa Eucharistica celebratione sacram communionem recipient; ipsis tamen iusta de causa potentibus extra Missam ministretur, servatis liturgicis ritibus praescriptis.*

*Can. 78 (CIC 858)*

§ 1. *Sanctissimam Eucharistiam recepturus per spatum unius horae ante sacram communionem abstineat a quocumque cibo et potu, excepta tantummodo aqua naturali.*

§ 2. *Sacerdos, qui eadem die bis aut ter Sanctissimam Eucharistiam celebrat, aliquid sumere potest ante alteram vel tertiam celebrationem, etiam si non intercedat spatum unius horae.*

§ 3. *Qui infirmitate quadam laborat Sanctissimam Eucharistiam recipere potest, etiam si intra horam antecedentem aliquid sumpserit.*

Placet § 1, suppresso verbo *naturali* et adiunctis *atque medicina*.

Placet § 2.

Ad § 3: Desideratur mentio eorum qui aetate sunt proiecti et eorum curae addicti, uti petitum est in animadversionibus. Quapropter textus qui probatur est: *Aetate proiecti et infirmitate quadam labores necnon eorum curae addicti, sanctissimam Eucharistiam accipere possunt etiam si intra horam antecedentem aliquid sumpserint.*

Hoc modo Consultores censem comprehensos esse etiam sacerdotes aegrotos qui Eucharistiam celebrare possunt etsi non intercedat spatum unius horae. Nihil insuper dicendum est de parentibus infirmorum, uti petitum fuerat in animadversionibus.

*Can. 79 (CIC 1248 et novus)*

§ 1. *Quilibet christifidelis obligatione tenetur Sacrificium Eucharisticum participandi singulis diebus dominicis atque festis de praecepto.*

*§ 2. Praeceptum de quo in § 1 adimpleri potest in die dominica vel festi aut pridie inde ab hora vespertina convenienti.*

Consideratis animadversionibus prolatis canon transfertur ad schema de diebus festis quia illic est eius locus magis proprius, absque mentione de obligatione huius pracepti, uti in can. 1248 CIC habetur.

*Can. 80 (CIC 859)*

*§ 1. Omnis fidelis, postquam ad annos discretionis, id est ad rationis usum, pervenerit, obligatione tenetur semel saltem in anno, et quidem tempore paschali, Sanctissimae Eucharistiae sacramentum recipere.*

*§ 2. Paschalis communio fiat a dominica in Palmis, usque ad festum Pentecostes; locorum Ordinariis autem fas est, si id personarum ac locorum adiuncta suadeant, hoc tempus etiam pro omnibus suis christifidelibus anticipare aut prorogare.*

*§ 3. Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore, quavis ex causa, non adimpleverit.*

Multa de hoc canone in animadversionibus conqueruntur.

Secretarius Commissionis et unus Consultor inutilem censem canonis praescriptionem de discretionis aetate, si praesertim hodie pueri serius ad sacram communionem admittuntur. Denique petunt ut tempus paschale non imponatur uti praceptivum ad obligationem satisfaciendam: obligatio quae esset — dicit Secretarius — sub poena gravis peccati. Iuxta sententiam illius Consultoris sufficit ut dicatur *praesertim tempore paschali*.

Contrarii sunt duo Consultores, etiam propter aspectum sociologicum et quia non sufficit ut aliqua lex melior sit antecedentis sed vindendum etiam quomodo in populi more inseritur. Relator animadvertisit argumentum nunc propositum contra tempus paschale pro satisfacienda obligatione communionis annualis valeret etiam contra obligationem assistendi vel participandi Missam die dominico. Curnam in illo die et non in aliis diebus? Primus Consultor instat, quia, cum dispensationibus quae dantur ad extendendum tempus propitium pro obligationis satisfactione, praescriptum legis fere evanescit.

Omnes, suffragatione peracta, conveniunt ut obligatio incipiat post primam susceptam communionem, et non post usum rationis adeptum.

Suffragium fertur etiam quoad obligationem communionis tempore paschali pro qua positivum dant suffragium quinque Consultores. Se-

cretarius Commissionis prorsus contrarium sese declarat cum extra Europam haec obligatio haud existit. Cui accedit etiam primus Consultor.

Disceptatione peracta, textus § 1 est:

*Omnis fidelis, postquam ad Sanctissimam Eucharistiam initiatus sit obligatione tenetur semel saltem in anno et quidem tempore paschali sacram Communionem recipere.*

Placet § 2, sequentibus mutationibus inductis: loco Paschalis dicitur *Haec*; loco *festum Pentecostes*, *dominicam Pentecostes*; supprimuntur verba *etiam pro omnibus suis christifidelibus*.

Placet § 3, suppressis verbis *paschalis communionis* cuius loco dicitur *de quo in §§ 1 et 2*.

*Can. 81 (CIC 863)*

*Animarum pastores christifideles suae curae commissos edoceant ex frequenti, immo vel cotidiana, Eucharisticae celebrationis participatione et Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri vitaeque spiritualis incrementum maxime foveri, eosque ad hunc usum salutarem cohorentur.*

Consideratis animadversionibus, Secretarius Commissionis proponit ut canon supprimatur utpote iam contentus in can. 61 bis et ex eo quod in can. 72 adiectum est *et frequenter*.

Omnibus placet ut canon deleatur.

*Can. 82 (CIC 864)*

§ 1. *Christifideles qui in periculo mortis versantur, quavis ex causa procedat, sacrae communionis recipienda praecepto tenentur.*

§ 2. *Etiamsi eadem die sacra communione refecti fuerint, valde tamen suadetur ut qui in vitae discrimen adducti sint denuo communicent.*

§ 3. *Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum pluries, distinctis diebus, administrare licet et convenit.*

Ad § 1: Uno Consultore proponente, loco *sacrae communionis recipienda praecepto tenentur* dicatur *sacra communione in viaticum reficiantur*.

Placet § 2.

*Ad § 3: Textus, suffragio probatus, sic sonat: Perdurante mortis periculo, commendatur ut sacra Communio pluries, distinctis diebus, administretur.*

Non admittitur suggestio a duabus Conferentiis Episcoporum facta de communione sub utraque specie vel calicis, in casu viatici, quia iam provisum in can. 86, § 2.

*Can. 83 (CIC 865)*

*Sanctum Viaticum infirmis ne nimium differatur; et qui animarum curam gerunt sedulo advigilent ut eodem infirmi plene sui compotes reficiantur.*

Placet. Etiam in consultatione nulla prolata est animadversio.

*Can. 84 (CIC 866)*

*Christifideles Sanctissimae Eucharistiae sacramentum in quolibet ritu suscipere possunt.*

Textus hoc modo probatur: *Christifideles sacrificium Eucharisticum participare et sacram communionem suscipere possunt quolibet ritu catholico, firmo praescripto can. 4 (canonum generalium de Sacramentis).*

\* \* \*

Ad quaestionem de ordine hoc in titulo dicendorum quod attinet, visitis animadversionibus et disceptatione facta, sequens seligitur ordo: can. 73-77 bis - 74 - 80 - 84 - 75 - 76 - 78 - 77 - 82 - 83. Placet omnibus.

### Art. 3

#### DE RITIBUS ET CAEREMONIIS EUCHARISTICAЕ CELEBRATIONIS

*Can. 85 (CIC 814-815)*

*§ 1. Sacrosanctum Eucharisticum sacrificium confici debet ex pane et vino, cui modicissima aqua miscenda est.*

*§ 2. Panis debet esse mere triticeus et recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis.*

*§ 3. Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum.*

Visis animadversionibus ad § 1, loco *modicissima* dicitur *modica*. Verbum *celebrari* praefertur verbo *confici*, quod in usu est Ecclesiae inde a Concilio Lateranensi IV; in § 2 supprimitur *mere*. Placet § 3.

*Can. 86 (CIC 852)*

§ 1. *Sanctissimae Eucharistiae sacramentum conferatur sub sola specie panis aut sub utraque specie, ad normam legum liturgicarum.*

§ 2. *In casu necessitatis, licet Sanctissimae Eucharistiae sacramentum sub sola specie vini ministrare.*

Praeterquam ea quae in animadversionibus prolatas sunt, ad § 1 unus Consultor proponit ut dicatur *suscipiatur sacra communio*, loco *Sanctissimae Eucharistiae sacramentum conferatur*. Alter Consultor dicit sufficere *communio fit*. Relator notat hic agi de obligatione pro ministrantibus sacramentum et non pro suscipientibus communionem vel quibus ea ministratur. Tertius Consultor praefert verbum *conferre* loco *ministrare*, quia respicit id quod sacerdos facit, qui nequit unam tantum speciem consecrare.

Quoad terminum *conferre* stant quattuor Consultores.

Ad § 2: Convenitur ut haec § uniatur § 1, et textus est: *Sanctissimae Eucharistiae ... legum liturgicarum, vel in casu necessitatis sub sola specie vini.*

*Can. 87 (CIC 816)*

§ 1. *In Eucharistica celebratione sacerdos secundum proprium ritum, adhibeat panem azymum aut fermentatum, ubicumque litet.*

§ 2. *In concelebratione Eucharistici sacrificii, sacerdotes ritum sequuntur proprium sacerdoti celebranti principali.*

Consideratis etiam animadversionibus ad § 1, Consultores conveniunt ut solae Ecclesiae Latinae restringatur usus panis azymi in celebratione eucharistica, habita ratione disputationum acerrimarum inter latinos et orientales saeculis praeteritis habitarum.

Secretarius Commissionis praferret ut in casu hostiarum inopiae et urgente necessitate, sacerdos quoque latinus celebrare possit etiam pane fermentato. Tamen suggestio ab aliis non accipitur, quia in casu necessitatis semper possibile est et licet hoc facere, et non est opportunum hoc in loco mentionem de re facere. Neque videtur opportunum in Codice latino agere de aliis ritibus et de pane fermentato. Qua-

propter textus probatus sic sonat: *In eucharistica celebratione, secundum antiquam Ecclesiae Latinae traditionem, sacerdos adhibeat panem azymum ubicumque litet.*

*Ad § 2:* Omnes retinent melius esse hanc § supprimere ne ansa praeveatur ad rituum permixtionem.

*Can. 88 (CIC 851)*

§ 1. *Quilibet minister sacram communionem distribuat pane azymo aut fermentato, secundum proprium ritum.*

§ 2. *Ubi vero necessitas urgeat nec minister diversi ritus praestos sit, licet ministro orientali qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam in azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato; at suum quisque ritum ministrandi servare debet.*

Prae oculis habita nova legislatione de ministro extraordinario sacrae communionis, canon supprimitur uti non necessarius, quia in iure liturgico sufficienter provisum est.

*Can. 89 (CIC 817)*

*Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque extra Eucharisticam celebrationem, consacrare.*

Consideratis animadversionibus prolatis, placet omnibus Consultoribus ut canon servetur uti iacet.

*Can. 90 (CIC 818)*

§ 1. *Supremae Ecclesiae auctoritatis atque ad normam iuris Episcoporum Conferentiarum et Episcoporum tantummodo cum sit Sacram moderari Liturgiam, nemini licet quidpiam proprio marte in ritualibus precibus et caeremoniis addere, demere aut mutare.*

§ 2. *Inter probatas celebrationis Eucharistiae formulas liturgicas, eam sacerdos in singulis casibus eligat qua fidelium utilitati eorumque participationi magis consulatur.*

Plerique in animadversionibus petunt ut canon, pertinens potius ad canones generales Sacramentorum, supprimatur. Et, cum in can. 6 canonum generalium *De Sacramentis* et in can. 4 *De Ecclesiae munere sanctificandi* quae in § 1 habentur iam contineantur, omnes Consultores censem hanc § 1 supprimi posse. Item pro § 2, quae ad Liturgiam relinquitur.

*Can. 91 (CIC 819)*

*Eucharistica celebratio peragatur linguis liturgicis iure probatis.*

Consideratis animadversionibus, Consultores, disceptatione peracta, censem nondum actualem esse canonem uti est servare. Unus Consultor tenet amplius loqui non posse de lingua liturgica. Alius Consultor proponit ut in textu mentio habeatur de lingua latina aut de lingua maioris partis eorum qui liturgiam participant. Textus probatus sonat: *Eucharistica celebratio peragatur lingua latina aut alia lingua dummodo textus liturgici approbati fuerint.*

*Can. 92 (CIC 811)*

*Sacerdos in Eucharistia celebranda vestem deferat convenientem necnon sacra ornamenta a rubricis sui ritus praescripta.*

Consideratis animadversionibus prolatis, et disceptatione peracta, Consultores censem quod textus hoc modo modificari debet tantum insistendo in deferendis sacris ornamentis a rubricis praescriptis, absque mentione de veste conveniente, quae hic non esset pertinens: *Sacerdotes et diaconi in Eucharistia celebranda et ministranda sacra ornamenta a rubricis praescripta deferant.*

*Can. 93 (novus)*

*§ 1. Sacerdos infirmus aut aetate provectus, si stare nequeat, Sacrificium Eucharisticum celebrare potest sedens, servatis quidem legibus liturgicis, non tamen coram populo, nisi de licentia Ordinarii.*

*§ 2. Sacerdos caecus aliave infirmitate laborans licite Eucharisticum Sacrificium celebrat, adhibendo textum cuiuslibet ex probatis Missae, adstante, si casus ferat, alio sacerdote vel diacono aut etiam laico rite instructo, qui eundem adiuvet.*

Aliquis Consultor dicit quod in canone potius de praescriptione liturgica quam disciplinari agitur; non adest enim norma quae imponat ut sacerdotes stantes celebrare debeant et nunc introducitur aliqua exceptio pro celebratione sedendo. Card. Praeses animadvertisit de se sacrificium eucharisticum celebrari partim stando, partim sedendo, tamen ei norma utilis videtur; cetero quod abundat non vitiat. Suffragatione peracta, omnes Consultores, uno Consultore excepto, sunt pro conservatione textus uti iacet.

Can. 94 (novus)

*Si extra celebrationem Eucharisticam distribuatur communio, serventur ritus praescripti, praemissa quoque, si res ferat, brevi verbi Dei celebrationem.*

Cum hic canon hoc exemplo iam habeatur in can. 77 bis, omnes Consultores convenient ut supprimatur.

#### Art. 4

#### DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS EUCHARISTICAE

Can. 95 (CIC 820, 847)

*Eucharistiae celebratio et distributio fieri potest quacumque die et hora, iis exceptis quae secundum liturgicas normas excluduntur; commendatur christifidelibus ut Corpus Domini sumant in ipsa Eucharistica celebratione participanda.*

Aliquis Consultor petit ut mentio horae deleatur quia non est amplius actualis. In Codice dicebatur sacram Communionem iis tantum horis distribui, quibus Missae sacrificium offerri posse, sed hodie fere quacumque hora Missa celebrari potest. Loco *quacumque* dicatur *quilibet*. Deletur insuper secunda pars canonis a verbo *commendatur* usque in fine, quia res iam in can. 77 bis continetur.

Can. 96 (CIC 822)

§ 1. *Eucharisticum Sacrificium celebrandum est in loco sacro, super altare consecratum aut benedictum.*

§ 2. *Loci Ordinarius, aut si agatur de domo Instituti clericalis vitae consecratae Moderator maior, concedere potest, iusta de causa, ut sacerdos, etiam habituditer, Eucharistiam celebret, extra locum sacrum, in loco tamen decenti et decoro, non autem, nisi adsit vera necessitas, in cubiculo.*

§ 3. *Sacerdotes in navi etiam aerea itinerantes celebrare possunt, dummodo debitae adhibeantur cautelae.*

Aliqui Consultores, visis animadversionibus prolatis, petunt ut textus ab Institutione Generali Missalis Romani, nn. 260 et 253 summa-

tur et in § 1 sermo tantum sit de loco ubi possibile sit Missam celebrare et in § 2 dicatur de altare.

Secretarius Commissionis proponit ut textus remaneat uti est, tamen aliis Consultoribus magis placet ut canon in duas §§ dividatur: prima de loco, altera de altari et textus probatus sic sonat:

*§ 1. Celebratio Eucharistica peragatur in loco sacro, nisi necessitas aliud postulet; quo in casu in loco honesto celebratio fieri debet.*

*§ 2. Sacrificium Eucharisticum peragendum est super altare consecratum vel benedictum; extra locum sacram adhiberi potest mensa conveniens, retentis semper tabulae et corporali.*

§ 3 supprimitur uti inutilis, comprehenditur enim in § 2 *extra locum sacram* et secus sermo instituendus esset etiam de celebrantibus in via ferrea.

Omnibus placet, uno Consultore excepto, qui se abstinet a suffragio ferendo. Item nihil dicitur de Missae celebratione in domibus vel in cubiculis, quia provisum in § 2 *extra locum sacram*.

*Can. 97 (CIC 869)*

*§ 1. Sacra communio ministrari potest ubicumque sacrificium Eucharisticum celebrari licet.*

*§ 2. Si Sanctissima Eucharistia ad infirmum deferatur, etiam eidem astantibus ministrari potest.*

Visis etiam paucissimis animadversionibus factis, omnes convenient ut canon supprimatur.

*Can. 98 (CIC 823)*

*§ 1. Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio in altari alius ritus catholici Eucharistiam celebrare.*

*§ 2. Iusta de causa, licet sacerdoti Eucharistiam celebrare in templo alicuius Ecclesiae orientalis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentis.*

*§ 3. Ut sacerdos Eucharistiam celebrare possit in templis aliarum Ecclesiarum communatumve ecclesiarum cum Ecclesia catholica plenam communionem non habentium, licentia eget loci Ordinarii.*

§ 1, visis animadversionibus, supprimitur.

§ 2, consideratis nonnullis animadversionibus factis, Consultores censem adiungenda esse post *iusta de causa verba et de licentia expressa Ordinarii loci* utpote necessaria, quia Ordinarius intervenire debet in re quae aliquod habet momentum ecclesiologicum. Post *alicuius Ecclesiae dicatur aut Communitatis ecclesialis plenam communionem cum Ecclesia Catholica non habentium, remoto scandalo.*

Conventus dd. 9-12 octobris 1978

## CAPUT II

### DE SS.MA EUCHARISTIA ASSERVANDA ET VENERANDA

*Can. 99 (CIC 1265)*

§ 1. *Sanctissima Eucharistia, dummodo adsit qui eius curam habeat et pro posse sacerdos saltem bis in mense Missam in sacro loco celebret:*

- 1) asservari debet in ecclesia cathedrali aut eidem aequiparata, in qualibet ecclesia paroeciali necnon in ecclesia domui Instituti vitae consecratae sive virorum sive mulierum adnexa;
- 2) asservari potest, de licentia Ordinarii loci, in aliis ecclesiis et in oratoriis;
- 3) asservari potest in sacello Episcopi, etiam titularis tantum; non autem habitualiter in ceteris sacellis, nisi ex indulto apostolico.

§ 2. *Nemini licet Sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre.*

Relator canonem legit et animadversiones quae in synthesi redactae sunt ab aliquo Consultore.

Ad primam animadversionem generalem indicandi fines asservationis Ss.mae Eucharistiae quod attinet, omnes Consultores concordant ut necessarium non sit aliquid addere etsi hodie forsitan imminuta est veneratio erga Ss.mam Eucharistiam, de cetero ample de re tractatur in Encyclica *Mysterium fidei*, n. 49 et in Rituale Romano, n. 5, ubi praecise dicitur finis primarius et originarius illius asservationis esse:  
*a) viatici administratio, b) communio, c) adoratio.*

Nihil insuper dicatur de Ss.mae Eucharistiae asservatione sub sola specie panis et libertas detur Eam servandi, maxime ratione viatici, etiam sub specie vini.

